

**Disputatio medica, inauguralis, de epilepsia ... / eruditorum examini subjicit
Joannes Wainman.**

Contributors

Wainman, John.
Lister, Dr
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1781.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qrg4e8x5>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA,
INAUGURALIS, 3
DE
EPILEPSIA.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES WAINMAN,
BRITANNUS,

Soc. Reg. Med. Edin. Soc.

Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXI.

ESTC

EDINBURGH
JUN 25 1801

ACADEMIAE MEDICAE
EDINBURGENSIS

GUILLIELMO ROBERTSON, S. B. T.
ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAELECTORI

ACADEMIAE SENATUS ACADEMICI
IN SOBOLLENSI FACULTATE MEDICAE
PRO GRADU DOCTORATUS
HONORIS IN MEDICINA HONORARIJE ET PRAELECTORIS
SITIS ET LEGITIMAE CONSENSUS

Examinum examini subijcti
JOANNES WAINMAN

BRITANNUS
Soc. Reg. Med. Edin. Soc.

Ad diem 25 Junii, hora locutus sollicitus

EDINBURGH
Apud BALFOUR & SMELLIE

Academicae Typographae
MDCCLXXXI

CLARO VIRO,

JOANNI BRUNONI, M. D.

DE MEDICINA PRÆLECTORI,

REGIÆ ANTIQUARIORUM SCOTICORUM

SOCIETATIS AB EPISTOLIS LATINIS,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ

EDINENSIS PRÆSIDARIO,

VERÆ MEDICINÆ INVENTORI,

PRÆCEPTORI SUO

HOC TENTAMEN SACRUM VOLUIT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA
IN AURICULA
M^r Lister

From his M^r W^m Wainman

Wainman

EPITOME

EDINBURGH
CUM homines, ut ab illustribus
satis observant, aliorum opinionibus
semel sunt contenti, scientias non diutius
promoveant, sed facultates suas in singulos
auctores orbando et defendendo servantes
suspendant. Doctrinae enim, maximo in
prelio apud plebem, seu audentissimam
quae, aut animam conspiciunt, et de
experientia propagare scientiarum fontes
proprium.

Wainman

DISPUTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

EPILEPSIA.

CUM homines, ut ab * illustrissimo viro observatur, aliorum opinionibus semel sunt contenti, scientias non diutius promovent, sed facultates suas in singulos auctores ornando et defendendo ferviliter impendunt. Doctrinae enim, maximo in pretio apud plerosque, aut assensum illaqueant, aut animum confopiunt; et, qui experientia propagare scientiarum limites

A proponunt,

* Lord Bacon.

proponunt, vix in totum opiniones receptas unquam deferunt, sed aliquid de suo addere, fat esse existimant; quippe qui prudenter judicent, se, cum modestiam assensu declarant, addendi immunitatem vindicare. Sed, dum haec opinionum ratio habetur, tali progressu scientiae languido valde laeduntur; quare nec hominum nec doctrinarum studio abrepti, observationes de Epilepsia paucas facere proponimus. Definitione Culleniana utemur: Quae

‘Musculorum convulsio cum sopore’ est, et statim ad historiam progrediemur.

HISTORIA.

Epilepsia ingruit tam subito, ut sine ulla monitione, et plerumque noctu, occurrat, cum paroxysmus hanc formam induit.

Convulsio

Convulsio totius corporis afficit musculos; vociferatio auditur; torta et turgida facies est; spumus ab ore effunditur; lingua est maxime tumida, et frequenter exterius apparet; aegrotus manibus percutere pectus conatur; frendit dentibus; sudor immodicus totum corpus occupat; soni emittuntur confusi; et ratio sensusque perit. Paroxysmum sedatum, qui fere a quarta parte horae ad horam manet, semisopitus status excipit, et, sensu suo revocato, visus queritur aegrotus imperfectionem, et peractae tragoediae inscius est.

Affectio non semper hanc seriem sequitur; sed valde est mutabilis. Aliquando enim animo moesto, noctibus turbatis, larga urinae, lacrymarum, aut salivae secretionem, sed praecipue capitis obtuso dolore, languore universalis, appetitu prostrato, et animo dejecto, indicat se appropinquare. Paroxysmo incidente, oculi pupilla dilatatur, vasa tunicae conjunctivae turgere, et scintillae ante oculos aegroti ipsi ludere videntur, atque tum demum

demum vertigo introducit paroxysmum. Aliquando quoque titillatio in pluribus partibus corporis, et praecipue in manu, sentitur, quae gradatim ad caput serpit, quo factò, aegrotus cadit in terram. Haec aura epileptica nominatur, * ‘ In puero decimum tertium aetatis annum agente, hoc primo viderat Galenus, ipse tunc temporis adolescens; puer ille simpliciter affirmabat se primum affectionis initium in tibia sentire, hinc recta ascendere per femur, ilium, latera, ad cervicem et caput usque; ubi huc usque pervenerat, tunc non amplius erat suae mentis compos: Postea alterum viderat epilepticum, sed jam adultiorem priori, similiaque passum, qui dicebat, frigidam quasi quandam auram esse id quod ascenderat.’ Etiamque paroxysmus varias formas assumit. Aliquando acetabulo os humeri demovetur, (cujus exemplum saepe in epileptico vidi) urina, semen, et faeces elabuntur, dentes franguntur, laeditur lingua, quandoque vi-
ta

* Van. Swiet. § 1075.

ta morte mutatur. Plerumque, invadente paroxyfmo, celer et parvus, fed, remittente illo, plenior pulfus ; et aegrotus obtufo capitis dolore, animo dejecto, univerfali debilitate, paucis diebus fequentibus adfcitur. Paroxyfmi interdum certis temporibus, alias incertis, redeunt, vix unquam formam exactam fequuntur, et adeo incertus exitus, ut nemo eum praedicere poffit.

CAUSÆ OCCASIONALES.

Hae in idiopathicas fere dividuntur et fympathicas. Idiopathicae dicuntur quando in totum corpus, fympathicae quando in partem agunt.

1. *Sympathicae.*—Inter eas vulnera capitis, exoftofes, fractura cranii, humor cerebrum inundans, aut quicquid mechanice in cerebrum agit, enumerantur. Sed epilepfia, ab his caufis oriens, nomen non bene meretur ;

meretur; quoniam eadem conditio in ple-
risque animalibus moribundis obtinet, et
certe immerito epilepsia nominatur. Den-
titio quoque morbus localis est, unde epi-
leptica quaedam species, ut symptoma so-
lum, pendet. Quod utique a vero idio-
pathico adfectu cum cura distinguendum.
A quo tam noxis excitantibus, quam auxi-
liis, causa pariter et medendi consilio, dif-
fert, nec ulla cujusvis momenti re convenit.

Materia variolosa saepissime inter causas
locales locatur: Quae, quanquam non tan-
tum pervadit, sed in totum corpus agit, hic
tamen locum meretur. Postremo, aura e-
pileptica, etsi non unicum, optimum epilep-
siae sympathicae est exemplum, et hoc no-
mine dignissimum, cum et ejus est sympto-
ma, et ab affectione nervi singulari origi-
nem ducit.

CAUSÆ

CAUSÆ IDIOPATHICÆ, AUT QUÆ
IN TOTUM CORPUS AGUNT.

Quis neget, quin animi adfectus epilepsiam faciant? Neque explicare difficile quo modo hunc effectum edant: Nemo enim eos corpus debilitare ignorat; sic nimium gaudii, irae, timoris, terroris, meditationis, minus commoda valetudine homines adficiunt*. ‘Sic Galenus observavit in juvene grammatico, quod toties epilepsia corriperetur, quoties vehementer doceret, attente cogitaret, aut irasceretur.’ Exemplum terroris epilepsiam moventis insigne tradidit Boerhaavius. Pueri epilepsia in nosocomio laborante, eadem fere omnes infantes affectione statim laboraverunt, cujus nec potio, nec cibus, sed aegroti conspectus solus, in causa fuisse videtur. Similis ideae recordatione paroxysmus

* Van. Swiet. § 1075.

ysmus frequenter redit. ‘ Swietenius ex-
 ‘ emplum pueri notavit, qui a cane magno
 ‘ infiliante ita terrebatur, ut paulo post con-
 ‘ cideret epilepticus, et postea, dum majo-
 ‘ rem canem videret, vel et latrantem au-
 ‘ diret, redibat paroxysmus.’ Cullenus
 quoque, suis in praelectionibus, aliud in-
 signe exemplum dat. ‘ Exempla quorun-
 ‘ dam etiam non defunt, qui miris in mo-
 ‘ dis suis musculis uterentur, ita ut se epi-
 ‘ lepticos fingere possent *.’ Talem casum
 habuit Boerhaavius in juvene nobili, sed
 pessimae indolis, qui, si negarentur ipsi a
 parentibus quae desiderabat, mox finge-
 bat epilepsiam; dum autem vocatus jubebat
 chirurgus ut ferro candenti tangeret pedis
 pollicem, mox exsiliit, et postquam nove-
 rat, in primo futuro paroxysmo cauterium
 applicandum esse, non amplius ausus fuit
 paroxysmum fingere. Epilepsiam creare
 humorum jactura, et recte, dicitur. Cu-
 jusmodi sunt sanguinis detractio, venus
 immodica, profusae haemorrhagiae variis
 partibus

* Van. Swiet. § 1071.

partibus corporis effusae: Quae, quo modo hoc efficiant, facile explicare. Omnes enim debilitantes potestates, incitationem minuendo, viam ad epilepsiam et alias astheniae formas sternunt, vel ipsas creant. Sic eundem effectum cibus tenuis ut rectam, et luxus ut indirectam, debilitatem facit.

Sensu vehementes, sed solum in opportunitatis ad morbos asthenicos statu, ut titillatio, praecipue in concubitu oriens, eodem spectant. Hoc antiquorum observationi tam frequenter occurrit, ut *την συνισταν ειναι μικραν επιληψιαν* dicere soliti sint. Sensus soni, coloris, odorum, saporum, epilepsiam dant. Vermes quoque forsitan sic agunt*.

‘ Swietenius puellam per plures annos fuif-
 ‘ se epilepticam narrat, et primo paroxyf-
 ‘ mo fuisse correptam, dum joci gratia hu-
 ‘ mi decumbentem, sub plantis pedum, ti-
 ‘ tillassent diu quaedam puellae, aliis illam
 ‘ immotam vi retinentibus, ne intolerabi-
 B lem

* Van. Swiet. § 1074.

‘lem ipsi hanc molestiam, mutato situ corporis, vitare possent.’

A Sauvagesio et aliis pro epilepsiae causa habentur venena; quorum quamvis actio non plane patet, tamen, si morbum inducunt idiopathicum, idem quod communes potestates agendo, ejusdem effectus arguuntur. Sic omnes potestates, quae epilepsiam faciunt, recte aut indirecte debilitando agere, demonstrantur.

C A U S A.

Quisquis historiam et occasionales causas epilepsiae contemplatur, mecum fortasse dicet, eam omnino a certo statu debilitatis pendere, et, si ejus in hujus generis affectionibus locus requiretur, inter hysteriam et apoplexiam reponendam.

METHO-

METHODUS MEDENDI.

Prius epilepsiae sympathicae curationem, posterius idiopathicae, explorabimus. Etsi non est unica aura epileptica, optima tamen, epilepsiae sympathicae causa videtur, et medici praecipue attentionem poscit. Haec variis modis removetur. Nervorum extremorum conditionem, emplastris epispasticis, fonticulis, parti applicatis, mutando, aut eadem scarificando vel urendo, et, si ad nervum accessus non patet, ligando, et comprimendo, perficitur, aut ipsum nervum, ut inter partem et systematis reliquum pervius usus intercipiatur, dividendo. Si epilepsia a causis aliis supra dictis effecta est, chirurgi magis quam medici artem vendicat.

METHODUS EPILEPSIÆ IDI-
OPATHICÆ MEDENDI.

Causa epilepsiae demonstrata, sponte remedia patere videantur. Etiam si quae stimulant, et alunt, et sic corpori vim idoneam addunt, sunt utenda; ea tamen admovendi ratio in idoneis temporibus inveniendis, et magnitudine justa regenda, consistit, quia habitus differentia affectionis modum variat. Unicuique occasioni apta remedia narrabimus, et eorum medici iudicio applicationem relinquemus. Haud necessarium est remedia epilepsiae specifica quae dicuntur enumerare; nulla enim medicina sola epilepsiam solvendi proprietatem possidet, eoque praecipua et maxime memorabilia proponere sat habebimus.

Corticis Peruviani corpus excitandi et roborandi facultas omnium medicorum testimonio

stimonio firmatur ; qui sic agendo in epilepsia saepe commodus usurpatur. Verum in nullo adfectu ei soli confidere debemus ; nam neque epilepsia, nec ullus affectus a debilitate pendens, quovis uno remedio tollitur.

Radix valerianae ad epilepsiam removendam probe accommodatur. Fabius Columna epilepsia se laboravisse, et, radice valerianae sylvestris usurpata, convaluisset memorat.

Ad hanc affectionem levandum aut solvendum, opium commodissime adhibetur. Quae tamen medicina, propter subitam ejus naturam diffusibilem, non constanter admovenda ; quippe cujus post opus corpus imbecillius, nisi alius stimulus statim succedat, efficitur. Idem quoque ut tonicum adhibendum, si debita cautione et idoneis temporis intervallis administratur. Ad quod probandum, ut experimenta non desunt, ita ea aliorum observationi et experimentis futuri-

turis relinquemus. Maxime conveniens adhibendi tempus id est, quo paroxysmus adpropinquat. Nihil enim venienti occurrere paroxysmo utilius, propterea quod singuli reditus magis magisque corpus debilitant. Cujus exemplum a Morgagnio narratur. De Haën opii quoque usu epilepsiam sublatam in lethargico testatur. Postremo, quoties affectionis magnitudo somnum impedit, saevitve dolor, ad hunc levandum et somnum conciliandum opium est utilissimum.

Afiatici moschi audacem dosin dant, quod imitatus est Hoffmannus; et Swietenius, "pulchro cum successu, repetitis etiam vicibus, octanni puellae decem moschi grana dedit." Id igitur perinde ac opium adhiberi posse constat: Quippe quod facultatem fedandi omnes motus convulsivos possideat. Causa cur remedia saepe successu carent, ex neglectu idoneis temporibus adhibendi fortasse

* Van. Swiet. § 1080.

fortasse pendet. Communis observatio est, post opii opus debilius reddi corpus. Qui effectus, si proxima dosis praesentem protinus excipiat, ubi prope finita est, prohiberi forsitan posset. Et saepe medici magis quam medicinae culpa est, quod parum ad sententiam potentissima auxilia procedunt. Verum effectus moschi et omnium remedium similibus adeo fugaces sunt, ut ab iis tota curatio non sit expectanda; quippe quae paululum corpus tantum sustineant, dum stimulantia durabiliora admovendi tempus aderit.

Quaedam metalla facultatem tonicam possident, et, aliis potestatibus conjunctis, aliquando sunt utilia, ut cuprum, arsenicum, vitriolum, flores zinci, &c. sed, propter maximam vim stimulantem, caute sunt administranda.

Lavatio frigida ad debilitatem removendam recte respondet, et, caute adhibita, cum commodo in epilepsia usurpari potest; quae
tamen

tamen magna debilitate, nimis frigida vel regione, vel tempestate, nunquam utendum. Cullenus exemplum epilepsiae hoc modo removisse sese narrat.

De exercitatione non verbis opus est, cujus beneficium in epilepsia et affectionibus aliis, a debilitate pendentibus, ostendere supervacuum foret. Nemo enim ejus utilitatem ignorat. Nihil igitur aliud dicendum, quam ut hoc optime cum priori remedio jungatur, et ad fatigationem nunquam perferri debeat.

In vicu praecipua curatio epilepsiae reponitur: Cujus neglectui infelicitas curationis haecenus adhibitae forsitan tribuenda est. Sed et haec corporis conditione regitur. Ut cibus carneus maximam vim corpori et alimentum praebet, sic natura maxime optatur, et est utilissimus; sed qualis et quantum ejus concoctioni et palato maxime accommodatur, semper dandus. Potio spirituosa et vinosa, eadem cautione admi-

administrata, summopere prodest, postque cibum auxilium est eximium. Denique, omnia quae placida sunt aluntque, in epilepsia forsitan usui sunt.

* * * * *

Quoniam plethora pro causa epilepsiae a nonnullis est habita, contra hanc opinionem pauca argumenta cum bona venia proponemus.

Omnes potestates noxiae, quae epilepsiam faciunt, debilitatem, ut ante dictum, rectam, vel indirectam, creant. Quo minus, si plethoram hujus affectionis unquam in causa esse negemus, quisquam admiretur.

Plethorae ab Hippocrate primo idea originem duxit. Qui hypothesein hanc defendere machinatus, omnes morbos ab redundantia fluidorum vel defectu pendere, existimavit. Quam doctrinam affectioni-

C

bus

bus in maximis refellere haud necessarium est; et paucae, quae huic causae nunc attribuantur, inde pendere, non clare demonstrantur.

1. Ut ab analogia initium faciam, haud pauci morbi sunt qui olim ex plethora pendere existimarentur, et postea diversam causam habere probarentur. Quin multitudo casuum, hac ratione infeliciter tractatorum, ad hypothesein evertendam sufficit. Cujus mihi multo maximum et clarissimum est exemplum, quod suis in praelectionibus Cullenus candidè narrat. Quod, mea equidem sententia, in accuratarum ejus observationum numero collocandum est.

A viro quodam, qui epilepsia diu laboraverat, sanguinem jussit detrahi, tonica remedia, maximeque parcum victum, administravit, et sic paroxysmos minus frequentes reddidit. Verum enimvero, hi redire non cessabant, ita ut curatio desperaretur.

Aegrotans

Aegrotans paulo post domum in Angliam rediit, ubi cum amicis occupatus, vini usui et cibi lauti abundantiae infervit; a quo tempore epilepsia evanuit, nec post multos jam annos vel semel aut ullo modo repetivit.

2. Male legibus philosophiae eundem effectum causis ^{adversis} ~~causis~~ attribuere congruit. Quod tamen sic esset, si unquam epilepsiae plethora pro causa haberetur.

3. Aliud argumentum contra plethoram non parvi momenti est, quod, quamvis humorum jactura et inedia diu adhibeantur, obtinet tamen eadem conditio, vel affectio etiam magis ingravescit: Certe sanguinem a nihilo creari, communi sensui prorsus discrepat.

4. Opportunitas quoque hujus sententiae futilitatem arguit; sic Swietenius ait*,

“ Docet

* Van. Swiet. § 1084.

“ Docet autem constans observatio, homines, caeteris paribus, huic morbo magis obnoxios esse, quo fuerint debilioris et laxioris fabricae; infantibus hinc adeo frequens epilepsia, qui per aetatem, firmato corpore, saepe sanantur; ob eandem rationem et teneris puellis longe frequentior, quam illis, qui duro labore victum sibi comparare coguntur.” Et Hippocrates quoque observabat, “per aetatem minui flaccidam illam corporis humiditatem, solidasque partes firmari; sed et simul tunc cessare infantilem epilepsiam” notabat “in illis, quibus, quamcumque ob causam, per aetatem minus firmabatur corpus, illam diathesin ad epilepsiam diutius manere.”

5. Nonne omnino hinc omnis est error, quod medici effectum magis quam causam respexerunt? quid motus inordinati, sive in hysteria, sive in asthma, sive in epilepsia, aut in ulla affectione valent, si debilitas causa subest?

His

His igitur de causis, an unquam plethora faciat epilepsiam, dubitamus; sed id maxima diffidentia experientiae futurae, qua vel probetur, vel improbetur, relinquimus. Denique, veritati, quacunque demum fluat ex origine, ut speramus, semper faciles aures praebebimus, veniamque petimus, quod a viris, qui celebriores sunt quam ut nostra indigeant laudatione, dissentiamus, quod quidem non ex pertinacia fecimus, sed ut vim affectionis minuamus, quae optimos medicos adhuc est frustratus.

F I N I S.

Hic igitur de causa, an magna sit
facit epilepsiam, dubitamus; sed in
his diuturnis experientia solum, quae
probetur, vel improbetur, relinquimus. In
omni, veritas, quatenus deus dicitur
origine, ut speramus, semper fides
procedimus, veritatem persequi, quod
vires, qui celebris sunt, prout in
indigent iudicium, exhibentur, quae
quidem non ex permissis, sed
vires affectus minime, quae
medicis ab hoc est solutio.